



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

§ 12. Similiter Imperij circulis est adscriptus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

esse oportuerit, nam error contra monumenta publica allegatus, nihil operatur absque probatione euidenti, vti DD. & Iura notissima clamant.

*S. 12. Similiter Imperij circulus est adscriptus.*

**E**ODEM pertinet, quòd in antiquâ S. R. Imp. partitione in Circulos & Status membraque Imperij, ponatur in Circulo sexto vel Rhenano Archiepiscopus Treuirensis tertio loco, Abbas verò S. Maximini duodecimo, vti que tanquam Circuli illius particulare membrum, æquè distinctum contra Archiepiscopum, & æquè immediatè Imperio subiectum quàm alia, quæ ibi enumerantur Imperij membra.

Extat quoque antiquissima Regni Lotharici diuisio facta inter Karolum & Hluduicum Anno DCCCLXX in qua separati Status & territoria inter portiones Hluduici ponuntur, vbi præter Coloniam, Treuiros, Vtrach, Straburch, Basulam, &c. concurrenter, tanquam eiusdem qualitatis, numeratur S. Maximini Monasterium. Inuenies eam apud Pithœum inter Scriptores Gallicos veteres, apud Miræum in *Codice Donationum*, apud Haræum tom. i. Belg. Annalium &c. Hinc factum est, vt Prælati S. Maximini æquè atque alij immediati Imperij Status & membra ad Circulares conuentus Imperialium Statuum fuerint conscripti & conuocati. Nam vt litteris pluribus bene authenticis & sigillatis ostendi potest, quoties fuere indicta Imperialia Comitua, semper à quatuor Electoribus Rheni, atque adedè etiam Treuirensi, conuocatus fuit Abbas Maximinianus ræquam constatus & commembrum superioris Rhenici Circuli, ad cõsulendum in medium de communibus Circuli necessitatibus, & occurrentibus difficultatibus; quod factum non tulissent Electores Treuirenses (qui tamen in illud consenserunt) nisi sciuisent probè, Prælatum S. Maximini esse liberum & immediatum Imperij Statum, sicut alios, qui simili modo ex eodem Circulo conuocabantur.

In fidem dictorum, in manus fortè Scribenti occurrunt litteræ, seu citatio Alberti Moguntinensis Archiepiscopi datæ Moguntia, Luna post Io. Baptistæ, Anno MDXLIII. qua euocatur ex Comitua Palatini commissione Abbas Io. à Cellis ad Conuentum Circuli Rhenici Spiram. Item alia Friderici Comitua Palatini data Heidelbergæ X. Iunij Anno MDLXIV. ad Abbatem Perrum, quæ euocantur homines Abbatis ad Conuentum & transuectionem militarem Circuli Rhenici Boppardæ, in qua hæc signatè habentur: *Dan ihr in Vnsern Keinschen Churfürstlichen Kreis auch gehörig so erforderen Wir als dieses Keinschen Kreis Dorister euch hiemit gnediglich.* Item alia, quam Daniel Archiepiscopus Moguntinensis dedit Atchaffenburgi vltimo Nou. Anno MDLXVI. Abbatem Perrum conuocans ad Conuentum Circuli Rhenici Bingam &c. Item alia eiusdem Danielis data Aschaffenburgi Anno MDLXVIII. vltimo Martij. Itè alia Electorū Palatini & Moguntini coniunctim data Moguntia Anno MDLXVIII. Item quatuor aliq. Electorū Palatini datæ Heidelbergæ Annis MDLXIV. LXVII. iterato LXXI. quibus omnibus Prælati Maximiniani ad Rhenici Circuli Conuentus euocantur.

*S. 13. Abbas S. Maximini cessante Exemptione immediatè Imperio soluit subsidia.*

**H**Oc quidem, vti & alia supra posita de immediatione Status, clarissimè in Concilio Aulico probatum fuit hoc sæculo, vti ex sententia, superiore sectione proposita & lata post quæstionem præcipuè hoc super puncto motam, est manifestum. Verum vt toti Imperio innotescat, quid Abbas sæpè dictus